DE CHLOROSI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN HOC ANTIQUISSIMO...

Eugenio Ancona



DE CHLOROSI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN HOC ANTIQUISSIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

MEDICINAE LAUREAM CONSEQUENDAM

PUBLICE HABUIT

EUGENIUS ANCONA

EX BOZZOLO PROV. MANT.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846



PROOEMIUM

Quam erroneas de nonnullis conditionibus morbosis medici antiquioris aevi ideas profiterentur, neminem latet, qui ad chlorosim, de qua nunc pertractare in animo est, attentionem suam vertat. Revera si Hippocrates hanc denominationem, externis solummodo phaenomenis ab aegro prolatis innixus, ex colore nimirum albo-viridescenti aut flavo, nobis tradidit, illico qualis et quantus fuerit rerum pathologicarum progressus clare unicuique patet. Inter hippocraticos posteriores Joannes Lanzius ex decoloratione cutis albo-viridi, qualis in puellis catameniali fluxu carentibus observatur, nomini chloroseos aliud superaddidit, veluti *morbus virgineus*, *febris alba*; immo juxta alios *icterus albus*, *febris amatoria*. Attamen clarissimi Hoffmann, Sauvages, Cullen et neoterici hodiedum nomen chlorosis adhibent ad enarratam cutis aegrotantium decolorationem significandam.

Si autem de definitionibus quaestio est, plures et quidem oppositae proponuntur sententiae; cujus rei nil

mirandum si inter auctores de chloroseos nosogenia variae et propugnantes adsunt opiniones. Ita ex Hippocrate usque ad saeculum praeterlapsum vix ac ne vix quidem aliqua in medicorum scriptis de chlorosi cognitio invenitur. Nec multum sub hoc respectu Boerrhaave, Astruc, Neumann aliique etiam saeculi praesentis scriptores tradiderunt; etenim ad horum mentem symptomata morbi essentialia pro secundariis, et viceversa, haberi solebant. Quapropter tot habentur chloroseos definitiones, quot sunt nosologi qui de ea egerunt. Attamen postquam in Italia, Gallia atque Germania ingens clinicorum multitudo partim ex anatomico-pathologica investigatione, partim vero ex chaemicis periculis, ad scrutandam morbi naturam atque sedem operam navarunt, variae et quidem commendandae monographiae prolatae sunt. Verum non defuerunt qui theoreticis ideis perducti a recto tramite aberrarunt. Nonnulli clinici parisienses, quos inter Andral, Gavarret, Boulliaud etc.; alii itali, uti Speranza, Bufalini, Tommasini, nec non Corneliani hujus clinicae professor atque director meritissimus, hoc argumentum, repetitis observationibus ad lectulos aegrorum collectis, elucubrarunt. Horum auctorum definitiones lubenter non referam, etenim characteres logici definitionis penitus in illis desiderantur; nam modo unum, modo alterum deficit symptoma, et semper vera morbi natura ex definitione clare non innotescit.

Nosogenia

Cum chlorosis ad morbos acute decurrentes referri nequeat, ita majores difficultates in ejus nosogenia exaranda obviam medicis venerunt: sub tanta enim phaenomenorum caterva, sub tanto laesionum cadavericarum discrimine et chaemiae organicae imperfectione, vix tutum conceditur judicium. Ex hac difficultate, ab omnibus fere nosologis candide exposita, aliquo modo deduci potest, falsam vel saltem firmis argumentis haud sustinendam esse illorum sententiam, qui morborum dubiae naturae nosogeniam unica tantum ratione explicare conantur; et naturae veluti imponunt ut regolariter unicae, haud variae legi obtemperet, atque eodem modo chloroseos causam proximam unice in utero constanter quaesiverunt; vel tantummodo, juxta alios, in ventriculo intestinisque, aut in simplici cordis vasorumque abnormi conditione.

Clarissimus Boerrhavius causam proximam chloroseos in deficentia materiei rubrae in vasis piae-meningis quaerebat. Hoffmann atque Gardien in digestionis organis atque in haepate, forsan etiam in liene, quaerendam causam proximam esse putavit. Ad mentem cl. Broussais potentiae in organa gastrica infense agentes, eorum vitalitatem intendunt, atque lentam gastro-enteritidem efficiunt; labefactatur exinde digestionis mu-

nus, vasis absorbentibus chylus haud congrue compositus suppeditatur, lympha et sanguis principiis eterogeneis inquinantur, inde tota nutritio malos experitur effectus: ex his omnia symptomata quae, in chloroticis obveniunt, explicare conatus est.

Eximius Speranza ad nosogeniam in puellis pubertatis tempore evolutae chloroseos exponendam, rejecta opinione illorum qui ejus causam proximam in lenta gastro-enteritide quaesiverunt, sedula observatione et firma ratiocinatione suffultus incedit, eamque in sublato aequipondio inter uterum et organa gastrica invenit. Adventante pubertate, inquit ille, uterus plethora corripitur, ceteraeque corporis partes robore et venustate instruuntur. Si autem internae aut externae potentiae uterum nequaquam excitare valeant, uterus necessariam sanguinis quantitatem et ex hac debitum irritabilitatis gradum acquirere nequit. Ob consensum uteri cum ventriculo, omnibus sat cognitum, hujus sensibilitas magis intenditur, unde fiunt adpetitus alienati, alimenta nocentia ab aegrotantibus suscipiuntur, digestionis functio necessarie laeditur, et, favente subjecti constitutione scrophulosa, glandularum infarctus producuntur; sanguis porro magis tenuis, minus nutriens, oxygenio et calorico depauperatus et carboniosa atque serosa materie dives redditur, unde praelaudatus auctor integram phaenomenorum cohortem explicare conatur. Huic opinioni adversantur observationes chloroseos in sexu virili, et in foeminis ipsis quin patiatur uteri

functio, immo fluentibus catameniis. Pinel auctor nosographiae phylosophicae chlorosim veluti symptoma amenorrhoeae constanter habuit. Quum igitur in has difficultates ad exarandam chloroseos nosogeniam doctissimus Speranza atque Pinel offendisset, aliae non minoris ingenii opiniones prolatae fuerunt. Et quidem italus noster Tommasinius, de lenta arteritide pertractans, chlorosim ad morbos vasales refert, sub larva alicujus leuco-phlegmasiae haud raro, et cum praevalenti *arteriositate* (sit venia verbo) decurrentem. Attamen simplex phlogoseos opinio non sufficit ad rationalem morbi nosogeniam depromendam. Quis enim explicabit defectum cotennae in sanguine, colluviem ipsius serosam, insufficientiam methodi antiphlogisticae evacuantis, aliorumque remediorum, puta aquae cohobatae laurocerasi, digitalis, si martialia excipias? Ne quis dicat saepius in chloroticorum cadaveribus angioitidis haud dubia signa sese vidisse; medicus enim facile in aestimanda angioitide decipi potest, quia saepe secundaria tamquam effectus morbi longe decurrentis habenda est, vel si levis rubor in tunicis vasorum inveniatur, non sufficit ad arteritidis existentiam demonstrandam. Nec credendum est cum Gardien, Piorry, Andral, Gavarret, atque Bouillaud conditionem pathologicam chloroseos in polyanemia atque parietum arteriarum debilitate esse reponendam. Hic enim error diagnosis majora pericula secum traheret ac si morbus tamquam arteritis retineatur. Revera cibi nutrientes leviterque excitantes ad sa-

nandam chlorosim nunquam sufficiunt, immo cum aegri detrimento vinum aliaque stimulantia adhiberi solent. Porro anemia ex repetitis venae sectionibus nequaquam veram chlorosim parit, immo congruis auxiliis diaeteticis sanatur, potius quam martialibus. Tandem si vera haberetur nosogenia ab enunciatis auctoribus proposita, quomodo sub restituta menstruorum evacuatione puellae chloroticae ingentem virium debilitatem non patiuntur?

Aliorum medicorum sententiae hic referre inutile mihi videretur, quin istius dissertatiunculae limites brevitatis, quos mihi proposui, praetermittam.

Silentio autem praeterire nequeo quomodo eruditissimus prof. Corneliani, magister meus, rationalem atque commendandam de chlorosi theoriam in ephemeridibus medicis publici juris fecerit.

Ad sanguinis conditionem in chloroticis dignoscendam plura instituit ille experimenta, ex quibus evictum fuit, sanguinem ipsum citius coalescere ac sanguis phlogisticus, nimirum inter octo aut novem minuta; porro magnam adesse seri flavo-viridis copiam, crassamentum parvum, flaccidum, atri coloris, nec unquam cotenna praeditum; quod criterium magni pretii ad dijudicandam simplicem chlorosim a complicata habendum est. Ferrum, haematosina aliaque elementa phlogistica, uti carbogenum, azotum etc., non exceptis principiis salinis, minori inveniuntur quantitate. Si analysis chaemica in iisdem subjectis desuper usum Martis

praeparatorum instituitur, elementa phlogistica, cotenna, haematosina adaugentur, et sanguis proportiones elementorum penitus normales exhibet.

Enarratae sanguinis mutationes cum laesa chymopoesi adsociantur; immo ad thaesim probandam repetitis usus est periculis, emesim consulto in chloroticis inducendo, ex quibus in illam venit opinionem quod in subjectis chloroticis sub digestione major extricaretur quantitas acidi lactici quam in subjectis bona gaudentibus valetudine. Cum igitur ille, tali experimento innixus, ferrum limatum post nutrimenti ingestionem chloroticis exhiberet, chaemiae ope, in materiis consulto rejectis, lactatem ferri inveniebat; unde celebritas, quam illud praeparatum apud antiquos sibi comparavit, in claram venit lucem. Perspecta nunc una ex conditionibus unde chlorosis ingeneratur, nimirum chaemico-vitali assimilationis aberratione, per quam succus gastricus et sanguis a norma deflectunt, alteram et non minoris momenti conditionem in statu peculiari *superincitationis* cordis vasorumque systhematis retulit. Hic status hyperstenicus cum vera arteritide aut cardioarteritide confundi non meretur, etenim ad mentem laudati professoris, erronea opitulantur qui sinocham aut ephemeram veluti arteritidem considerant. Attamen, inquit ille, nil mirum si post diuturnam vasorum excitationem aliqua inflammatiuncula evolvatur, modo diffusa, modo ad membranas cor obvolventes circumscripta: verum hoc nonnisi sub ulteriori morbi decur-

24

su contingit; praeterea non desunt signa ex quibus complicatio haec tuto eruatur.

Difficile esset opus statuere qualis ex dictis conditionibus emineat ad chlorosim ingenerandam: tantus enim interest nexus inter solida et fluida, ut mentis humanae aciem effugiat. Probabiliter mox conditio sanguinis pedetentim a norma aberrat, mox contrarium fieri solet. Revera non mirandum si ab angioitide praesertim longaeva chlorosis saepe saepius evolvatur: nonne chlorosis pravam sanguinis indolem ostendit et unum sistit hujus morbi elementum? Atque cum circulationis vasis recta incumbat haematopoesis, nonne ab illorum laesa functione sanguinis crasis laedatur oportet? Et re quidem vera a longaeva angioitide sanguinis laeditur mixtio: non raro inveniuntur adspectus chlorotici unica ex hac causa, cum nempe vasa sanguifera inflammatione chronice decurrente aut vitio organico corripiuntur, uti videre est in aneurysmate, in ossificatione cordis, valvularum et sic porro.

Tali pacto sanguinis atque chymi mutationibus, nec non excedenti cordis vasorumque sanguiferorum tamquam vera conditione pathologica chloroseos perspectis, ad effectus Martis praeparatorum, quae ab agyrtis tamquam specifica contra chlorosim praedicantur, rite explicandos, quotidie ad lectulos aegrotantium, quibus ferrum exhibitum fuit, diligenter numerum, vim cordis pulsationum perscrutavit; dein periculis comparativis cum digitali purpurea, aqua cohobata lauro-cerasi, ni-

trate lixivae et tartaro emetico, ipso vino non excepto, innixus ad sequentes conclusiones perducebatur.

I. Ex magna remediorum debilitantium caterva nullum admodum efficacius atque tutius ferro in chloroseos therapia; quod duplici conditioni pathologicae, unde chlorosis ingeneratur atque sustinetur, optime respondet.

II. Quod ferrum ejusque praeparata super organismum duplicem exerunt actionem, quarum una controstimulans super cor atque vasa sanguifera, altera qualitativa chaemico-dynamica super integrum assimilationis processum, vel maxime digestionis atque haematosis peculiari ratione dirigitur; cujus effectus constans in majori haematosinae atque ferri quantitate habetur. Hoc sub respectu nullum, plane nullum in tota serie medicaminum cognoscitur quod duplici enarratae conditioni satisfacere valeat.

III. Quoad efficaciam ferri praeparatorum vix aliquod adest discrimen; nihilo tamen quo citius in humoribus inquilinis solvuntur, generatim eo major redundat effectus.

IV. Quodcumque acidum cum ferro in variis hujus praeparatis connubium teneat, parum confert ad activitatem pharmaci adaugendam.

V. Ferrum limatum in ventriculo chloroticorum in lactatem ferri mutatur; quod ex rationibus prius adlatis facile eruitur.

VI. Quod altiores ferri doses aegris exhibitae, vel

non digeruntur, simul cum faecibus per tramitem intestinalem miscentur, deinque per alvum evacuantur; vel in subjectis delicatulis speciatim irritationem afferunt, unde alvi obstipitas diuturna atque aegro nocens. Ad hanc conclusionem post plura experimenta in clinico instituto ticinensi repetita devenit. Demonstravit porro quantitatem ferri intra nyctemerum absorptam nunquam dosim granorum sex superasse, quapropter cautos reddidit medicos de dosi ipsa qua hoc pharmacon uti debet.

VII. Denique inter varia Martis praeparata nullum efficacius lactate ferri; quod bono cum eventu et in clinica patavina quotidie in usum trahitur.

Tali ergo nosogenia exarata, chlorosis amplius nec tamquam morbus indolis ignotae, nec tamquam morbus adynamicus haberi meretur. Hoc revera confirmant observationes a laudato professore pluries repetitae et sanationes quae simplici medicamentorum adparatu in clinico instituto obtinentur.

Divisiones

Antiquiores medici chlorosim juxta symptomata eminentia, juxta aetatem individui adfecti, immo juxta terrae regiones variatissime dividebant. Juxta Cullenii opinionem primitus in *veram* seu *virgineam*, porro in *spuriam* dividitur; quae dein subdividitur in chlorosim a *menorrhagia*, in chlorosim *gravidarum*, in chlo-

rosim *infantum*, in *verminosam, viridem*, ab *hydrothorace, maculosam* et sic porro. Quomodo haec divisio tamquam erronea haberi mereatur, neminem latet; etenim vermes nil aliud sunt nisi laterales complicationes; praeterea habitus leuco-phlegmaticus, qualem prae se ferunt aegrotantes hydrothorace laborantes, nequaquam cum chlorosi confundendus est.

Sed, his praetermissis, ad alteram momentosam divisionem veniamus, scilicet chloroseos *primariae* et *secundariae*, quam cl. Speranza nobis tradidit, immo morbi hypotyposim, huic divisioni innixus, superstruxit. Primariam illam vocat quae pubertatis tempore aut paulo ante adparet, quaeque scilicet non ex menstruationis prius fluentis suppressione, sed ex ejus retentione ob impeditam uteri evolutionem ipsiusque inertiam prosilit. Secundariam autem illam nuncupavit, quae mensium suppressionem, nullo habito respectu ad causas varias, aetates et foeminae status, enatam sequitur chlorosis.

Divisio quam cl. Speranza in medium protulit juxta veram morbi causam proximam instituta non fuit: etenim, ad mentem magni Petri Frank, chlorosis enascitur etiam integra menstruatione, in foeminis sat robustae constitutionis et temperamenti sanguinei; hujusmodi autem chlorosis, ex eo quod post pubertatem adparet, juxta Speranzam, secundaria vocaretur. Haec vero nonne a diversa conditione pathologica progignitur, quam illa quae a mensium suppressione originem

ducit? Nonne alterum locum sibi meretur? Nonne chlorosis primaria enasci potest post mensium adparitionem et suppressionem, quum haec suppressio non tam ab uteri, quam alius organi primitiva adfectione morbosa dependet?

Alia non minoris momenti invenitur distinctio, in *sthenicam* nimirum et *asthenicam*: attamen chlorosis potius ad morbos sthenicos quam asthenicos referri debere, unicuique patet, dummodo ad superius relata attentionem dirigat. Nihilo secius liceat hic observare quod sicuti post energicam antiphlogisticam curationem unusquisque morbus, saltem pro tempore, cum vera debilitate concomitari potest (quod incongruae medelae, nequaquam primitivae morbi ipsius indoli est tribuendum), ita nil mirum si post venae sectionum abusum etiam chlorosis sub larva morbi hyposthenici adpareat.

Denique aliam protulerunt divisionem chloroseos in *virilem* et *foemineam*, quae divisio potius sexum quam veram morbi naturam respicit.

Quapropter cum cl. prof. Corneliani chlorosim *simplicem*, de qua certa habetur nosographia, a chlorosi *complicata* distinguere oportet, ut exinde congrua adhibeatur therapia.

Nosographia

Chlorosis simplex. Phaenomena quibus morbus hic manifestatur externa sufficiunt in nonnullis saltem casibus ad diagnosticum judicium depromendum. Et reapse cutis est sicca, pallidum assumit colorem qui pedetentim sub flavo-viridi adsociatur, corporisque superficiem veluti cercam efficit: pallescunt labia, gingivae et uno verbo membranae mucosae cutis continuationem sistentes; digiti interdum nigro-caerulescentes visi sunt; matutino tempore tumet facies praesertim circa oculos, qui livido halone cinguntur; schlerotica alba semper remanet, quod chlorosim ab ictero distinguere valet; oculi moerorem exprimunt. Vasa sanguinea superficialia ex integro fere disparent: sub animi motu interdum roseo suffusus colore vultus adspicitur, celeriter evanescente. Cutis pallor haud semper ceream refert imaginem, sed morbi clandestina crudelitas hanc ipsam cujuscumque pulchritudinis speciem destruit, et terreus color et plumbeus, foedaeque maculae aeruginosae vel pallido-virides totam deturpant cutem. Psychica autem aegrorum natura peculiarem sibi postulat attentionem; hinc animi morositas, virium delaxatio, somnolentia continua: tarde et cum fastidio incedunt aegrotantes et facillime defatigantur; aurium tinnitus, scintillae in oculis adparent, cephalaea, hemicrania, vertigo, lipothimia aliaque hujus generis mala sequuntur. Sensibilitas sum-

ma hic est, per levissimam etiam causam irritantur, atque solitudinem adamare videntur; praecox ad amorem proclivitas, sed interdum concubitum aspernuntur. A fabularum lectura, nec non ab amatoriis narratiunculis oblectationem capiunt, itaque per haec chymerica signa fallax imaginandi vis exsurgit; talisque illorum est physionomia, ut sensibilis animae prae se ferant rationem atque indolem.

Alia phaenomena tubi gastro-enterici laesionem indicant; quapropter observatur dyspepsia fere continua, nausea frequens; in regione epigastrica dolor suboritur; ructus acidi, pyrosis, interdum vomitus, lingua albo quandoque flavicante muco obtecta, rubra etiam ad apicem. His accedunt adpetitus morbosi, qui sub nomine picae aut malaciae dignoscuntur, et sub quibus res insolitas, inusitatas, modo nocentes, modo non, avidissime exposcunt aegrotantes, inquirunt et comedunt; immo et convulsionibus corripiuntur si eaedem res petentibus denegantur; in aliis adest desiderium acidorum. Curiosa de hujusmodi adpetitu apud auctores inveniuntur exempla, ubi calx, sabulum, immo et equorum urina cum voluptatis sensu hauriebatur. Hisce adsociantur tormina ventris, colicae vagae, flatus, meteorismus plus minusve gravis, dolores ad hypochondrion, alvina obstipatio.

Maxima notatur in urinis varietas; modo enim sunt pallidae, modo subrubrae, foetidae, lateritiae, jumentariae, quem ultimum characterem prae se ferunt illis

in casibus in quibus morbus complicatus cum arteritide aut endo-carditide decurrit.

Respirationis et circulationis munus valdopere laeditur; quapropter respiratio breviter et laboriose perficitur, praecipue si scalas aliaque loca altiora adscendere aegrotantes conantur. Tussis in simplici chlorosi omnino deesse solet.

Ad cordis regionem molestus oppressionis sensus, palpitationes vix unquam desiderantur, et sub levi nonnunquam causa etiam syncopes; pulsus parvi, frequentes, celeres, vel maxime variabiles, interdum duri et suppressi; arteriae temporales et carotides valide micant, et sub pressione peculiarem sensationem exhibent, quae, aure adplicita, rumorem diabuli, strepitum nimirum mox continuum, mox systolem arteriarum comitantem, offerunt.

Nec minoris dignitatis phaenomena ab auscultatione atque percussione eruuntur; et revera regio praecordialis sonum obtusum refert magis extensum quam par sit: sub tubi Laennecchiani adplicatione, cordis impulsus adauctus ejusque sonitus clariores et cum strepitu insufflationis concomitati percipiuntur.

Uteri functiones in foeminis valde patiuntur; hinc menstruatio vel nulla vel parca, aut ejus loco fluores albi adsunt: dolores exsurgunt quandoque lancinantes, urentes, constringentes in utero, ad lumbos, ad coxas extensi: artuum inferiorum lassitudo.

Tanta malorum series vix cogitari potest sine fe-

brili reactione, quae saltem in chlorosi simplici omnino deest.

Chlorosis complicata

Nullus fere habetur morbus quo cum chlorosis decurrere non possit; immo huic referuntur divisiones chloroseos in verminosam, viridem, maculosam, hydrothoracicam, quae apud antiquiores nosologiae scriptores inveniuntur.

Nonnullas ex illis praetermittam, vel ex eo quod raro occurrunt in praxi, vel adeo clara habentur phaenomena ut facile dignosci possint.

Inter memorandas chloroseos complicationes procul dubio lenta phlogosis pericardii, endocardii, aut denique arteriarum jure ac merito haberi merentur, de qua perbelle Tommasinius noster locutus est.

Endo-pericarditidem atque lentam arteritidem cum chlorosi decurrentem indicant sequentia phaenomena. *A*) *Endo-pericarditis*: dolor pungens, lancinans, modo continuus, modo recurrens in regione praecordiorum, cum sensu ponderis, anxietatis et pulsationis valde molestae; obtusitas ad majorem thoracis provinciam extenditur, si maxime aliqua effusio in pericardio contingit; ictus cordis validissimi et per totum pectoris ambitum extensi: sub auscultatione strepitus varii percipiuntur, videlicet strepitus limae, serrae, affrictus pericardialis, rumor sic dictus *de taftà*, quae omnia exsu-

dationem jam contigisse in valvularum adparatu sat clare ostendunt. Difficulter autem endo-pericarditis sola existit; plerumque lenta simul *arteritis* decurrit. *B*) Hujus symptomata sunt: arteriarum insignis vibratio, quae sub horis vespertinis majorem adipiscitur gradum, vel maxime si aeger vino abutatur. Huic arteriarum vibrationi accedit major pulsuum frequentia, calor cutis mordax maxime sub horis vespertinis, aegrotanti molestus et medico tangenti. Sub hac febricula lenta depascente, tristissimi insurgunt effectus, etenim, vasorum munere laeso, insurgunt effusiones serosae quae ab initio leucophlegmasiam universalem constituunt, porro ad crura circumscribuntur sub forma oedematis: dein effusio serosa in splenicis cavitatibus, scilicet in pectore (pleura atque pericardio) et in abdomine colligitur, omni momento vitam aegri proximius minitando. Si sub tristissimo phaenomenorum adparatu, qualis in hydrothorace, hydrocardio et ascite praesto fit, aegri vitam ducere valeant, pedetentim, monente Tommasinio, ad tabem feruntur; quapropter vires et adpetitus sensim sensimque labefactantur; facies tristis, collapsa, artus graciles veluti in phthisi, immo, favente subjecti constitutione, phthisis ipsa pulmonalis locum habere potest. Denique sudores vespertini, spirandi difficultas, cardiopalmus, pulsus parvi, celeres, vix perceptibiles, extremorum frigus, exitum letalem praecedunt.

Haec est phaenomenologia complicationis quae frequenter cum chlorosi adsociatur.

Causae

Potentiarum nocentium duplex est series, quarum concursu hujusmodi oritur adfectio: aliae nempe praedisponentes, aliae occasionales dicuntur.

Inter causas praedisponentes enumerantur: habitus corporis teneriores, sensibiles, scrophulosi, tenuissima cute praediti, mollique et flaccido musculorum adparatu, qui pallorem peculiarem una cum systematis sanguiferi-nervosi torpore possident: crebrior intellectus evolutio, educatio nimis delicatula, vermes longius nidulantes; digestionis porro inertia, uteri atque ovariorum imperfecta evolutio, atque morbosae degenerationes.

In causarum occasionalium numero paene infinito praecipuae sunt: domus humiles, sine luce, absque aere oxygenato, humidae, aer miasmaticus: amor perturbatus, moestitia, timores et alia hujusmodi pathemata deprimentia. His ingentem phantasiae vim adde, lascivas imagines, coitum, adveniente pubertate, immodice peractum, remediorum irritantium et drasticorum usum nimium, morbos praegressos qui nocendi vim in systemate reproductivo habuerunt, puta febres intermittentes, quibus apta praestita non fuerint remedia, febres nervosae, amenorrhoea atque maenostasiae quacumque ex causa ortae, medorrhoea chronica, atque variae syphiliticae adfectiones: tandem partium genitalium vitia

organica enumerantur, uti vaginae atresia, uterini orificii scirrhus, carcinoma, nec non laesa ovariorum structura.

Prognosis

Summa prudentia uti oportet, cum de chlorosis exitu judicium proferatur: morbus enim non est simpliciter dynamicus, eo quod effectus a natura potius quam ab arte expetendi sunt; et quamvis nostris hisce temporibus medica ars ingentes fecerit progressus, tamen nemo ignorat summo cum dolore quibus brevibus incertisque adhuc sit limitibus circumscripta. Chlorosis quae corpus per breve tempus invasit et nondum in organismo profundas fixit radices, facile curatur et dijudicatur. Si autem inveterata vel diu neglecta, vel non bene curata, quemadmodum plerumque varios habet effectus atque exitus, ita plus minusve infaustum judicium praevideri poterit, juxta concomitantes complicationes atque sequelas. Quapropter judicium prognosticum infaustum proferatur dum ex neglecto morbo aliqua endo-pericarditis aut pleuritis, nec non cordis aut uteri vitia organica jam jam efformata fuerunt, puta hydropes varias usque ad ipsum anasarca, phthisim pulmonum, aut tabem, aut haemorrhagica profluvia et sic porro. In his enim casibus, monente praxi, cura valdopere difficilis evadit, et exitus omnino anceps; eo magis quod inflammationes, quae in subjectis chloro-

ticis evolvuntur, pessimum induunt characterem, in organorum destructionem nitentem. Sterilitas plerumque aut abortus sat frequenter contingunt in chloroticis, quarum uterus aut ovaria lenta corripitur phlogosi. Cl. Raimann edocuit quod si scarlatina superveniat, facillime hydrothorax aut hydropericardias uti posthuma contingunt acute aut chronice decurrentia.

Curatio

Ex his, quae de hujus morbi essentiali natura diximus, facile profluunt indicationes therapeuticae et indicata ipsa. Quapropter ex sedula causarum investigatione, morbique praesentis phaenomenologia, subsequa curationis methodus sponte fluit. Maximum aegrotanti redundat damnum, si discrimina chloroseos jam exposita et complicationes, quibus morbus incedit, medicus ante oculos non teneat.

Medici qui chlorosim diathesicam omnino hypersthenicum morbum judicarunt, diversam curam etiam adhibuerunt; nam chloroticarum foeminarum orgasmum maxime irritabilem postquam cognovissent, etiam in primis viderunt medicamenta excitantia sibi esse relinquenda. Et quis non videt remedia, minima etiam vi excitante donata, foeminis chloroticis exhibita, mirum in modum perturbare organismum, nec non eas ad phlegmasias locales, uti ajunt, perducere? Alia ex parte nonne remedia absolute deprimentia morbum penitus averruncare hucusque non potuerunt, etiamsi

magnum ab illis levamen aeger assequatur? Quare Martis praeparata excellunt?

Sed ad specialia deveniamus; et quidem inter therapeutica auxilia contra chlorosim opposita, hygienes magni pretii haberi meretur, utpote illa qua antiquiores medici totam sistebant curam, aliis neglectis auxiliis. Igitur sub hoc respectu dum in subjectum ad hunc morbum dispositum medicus incurrit, sequentia erunt suadenda. Otium et vita sedentaria vitentur sedulo: vita campestris illis jubeatur qui in urbe degunt: aer liberus et matutinus hauriatur, corpusque ludis exerceatur: motus corporis activus vel passivus fiat. Quibus datum est, fugiant loca depressa, nebulosa, nimiam frigoris et aestus intensitatem, regionesque altiores petant. Nutritio sustineatur alimentis digestui facilioribus, vegetabilibus in primis, dein animalibus: vitentur cibi pingues aut amylacei. Si adest pica aut malacia, alimenta pedetentim mutanda sunt. Aequa sit proportio inter somnum atque vigilias, quia vigiliae et somnus protractus aeque nocent, nervorum erectismum et virium languorem inducendo. Peculiarem exposcit curationem moralis conditio: hinc tam noxia evadunt animi pathemata incitantia quam deprimentia; priora enim in damnum systematis nerveo-vascularis ex nimia hujus incitabilitate feruntur, alia e contrario nimium inducunt languorem. Denique inter auxilia hygienica etiam matrimonium aliquem locum sibi vindicat, dummodo inter causas morbificas moenostasia enumeretur.

His quoad hygienem perspectis, ad therapiam speciatim erit deveniendum, quae quidem plures medico practico exhibet modificationes juxta phaenomena praevalentia, aut juxta complicationes quae cum chlorosi haud raro adsociantur.

Attamen in indicationibus generalibus et in indicatis seligendis semper ad duplicem conditionem pathologicam, qua ad mentem eximii prof. Corneliani innititur morbus, respectus potissimum habeatur.

In simplici chlorosi, uti diximus, perturbatio duplex habetur, scilicet in adparatu digerenti, nec non in angiosthenica diathesi.

Adfectiones gastricae, prouti indolem irritativam aut phlogisticam prae se ferunt, varia exposcunt remedia. Et in primis ad sedandum dolorem in ventriculo sub pressione exacerbantem, accedente simul lingua sub-rubra, alvi obstipitate, doloribusque vagantibus per abdomen, hyrudines, optimo consilio, modo ad epigastrium, modo ad anum adplicitae, omnem indicationum paginam explent. Balnea aut semicupia, favente tempestate, conditionem irritativo-phlogisticam tramitis digerentis breviter temperant. Praeter haec, varia laudantur pharmaca, et in primis, scopo purgandi simulque cardialgiam sedandi, optime conducit aqua cohobata lauro-cerasi, extractum hyoscyami aut magnesia carbonica cum magisterio bismuthi, quod connubium haud raro professor patavinus magno cum emolumento exhibet. Si de aliqua helmintiasi suspicio habeatur, tunc

oleum seminum ricini, calomel et santonina valdopere proficiunt; ceterum cura ab initio generatim instituitur per leviora eccoprotica, pro re nata, seligenda, nimirum per cassiam, tamarindum, cremorem tartari, solum aut cum nitrate lixivae sub forma pulverum temperantium.

Ad moderandam porro nimiam vasorum excitationem, eodemque tempore ad criterium diagnosticum assequendum, haud raro phlebotomia parca dosi instituitur, ex qua magnum sequitur levamen. Inter cetera pharmaca quae huic satisfaciunt indicationi eminent: nitras lixivae, acida vegetabilia et mineralia, digitalis, squilla marina, extracta narcotica, non excepto sulphate aut citrate chininae. Nihilo tamen haec pharmaca tantummodo contra unum morbi elementum (angiostheniam) opponuntur, nec integra ab ipsis obtinetur sanatio: monente enim laudato professore, nonnisi erectismum vasorum compescunt: verum sanguinis conditionem (alterum chlorosis elementum) nequaquam mutant. Immo sub hoc respectu in tota materie medica nullum habetur pharmacon, quod eodem tempore duplici satisfaciat indicationi, ferro praestantius.

De activitate Martis praeparatorum variae extant opiniones. Hinc sulphas ferri, limatura ipsa ab antiquioribus medicis seligebantur; nuperrime autem varia una simul inventa et laudata fuerunt, scilicet: oxydum ferri carbonicum, extractum malatis ferri, tinctura ipsius, spiritus aetheris ferrati, globuli martiales, plures aquae ferruginosae, denique lactas ferri.

Mihi autem observare liceat quod ferri praeparata vix quoad actionem suam discrimen offerunt: si forsan excipiatur promptitudo aut facilitas qua a ventriculo subiguntur. Quales et quam diversae de horum actionibus habeantur opiniones, neminem medicorum latet, nec opus est ut historicas notiones huc referam.

Quapropter, cum laudato clinico professore, dicam quod inter cetera praeparata eminet lactas ferri, etenim processum naturae, ut ita dicam, incitare valet. Hanc sententiam repetitis elucubravit experimentis, ex quibus evictum fuit, sub digestione chloroticarum evolvi acidum lacticum, et si ferrum inveniat, illico in lactatem mutari. Quamobrem ob lactatis ferri usum numquam sequuntur incommoda varia, uti sensus ponderis ad ventriculi regionem, ardoris ac erosionis, nausea et ipse vomitus: etenim magis accedit ad indolem organismi, unde etiam facilius a digestione subigitur. Quoad dosim, ipse probare valuit tantummodo ad grana sex hoc remedium ex integro assimilari: et revera si ad doses elatiores exhibeatur, simul cum faecibus a corpore eliminatur, atque saburram medicamentosam afferre valet.

Perutilia quandoque martialium cum aliis medicaminibus instituuntur connubia eo scopo ut mensilis revocetur fluxus suppressus aut deficiens, sicuti prae aliis cum myrrhae extracto aquoso, cum aloeticis praestant uniones. Praeter usum ferri, laudantur etiam amara, ex. gr., gentiana, absynthium, quassia et vina medicata.

Mercher non inutiles censuit aquas minerales ferro abundantes, et Hufeland hasce eo magis proficuas esse experimento devicit, tum cum chaemice ferrum cum iisdem conjungitur: haec non modo suam demonstrant efficaciam tum cum per vias chylopoeticas in organismum ingressa sunt, sed etiam exterius, quod fit nempe de balneis martialibus.

Attamen curatio generalis aliquot modificationes non negligendas requirit, si chlorosis cum aliis morbis complicata decurrit.

Si igitur hydrops aliqua interna, puta pleurae aut pericardii, lentas sequatur phlogoses, mirum in modum respondet calomel vel solum vel etiam cum squilla marina, aut digitali purpurea: haec remedia duplici ratione agunt, nimirum ad augendam vasorum absorbentium actionem; praeterea quod efficaciam suam exerunt in totum systema sanguiferum et membranosum, uti ex neotericorum observationibus aperte patet.

Si aliae non frequentes complicationes insurgunt in chloroticis, haec curam requirunt, quae a morbis quibus adsociatur valdopere modificatur juxta medentis criterium.

THESES DEFENDENDAE

I.

Rubor tunicae internae vasorum non sufficit ad veram angioitidem demonstrandam.

II.

Chloroseos divisionem in simplicem et complicatam, alii praeferunt illi in primariam et secundariam.

III.

Rumor diabuli (bruit de diable) non est symptoma pathognomonicum chloroseos.

IV.

Datur chlorosis absque amenorrhoea.

V.

Sanguificatio quantum a systhemate cardiaco-vasculari, tantum a pulmonibus dependet.

VI.

Vera arteritis est morbus rarissimus.

VII.

Actio ferri ejusque praeparatorum tamquam specifica haberi meretur.

VIII.

Ferrum haemorrhagias fovet atque sistit.

IX.

Medicamentum sani corpori ingestum, si aliquid efficiat, nocet.